Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO MEDICA
De
CEPHALALGIA,

Quam

Præside

VIRO

Nobilissimo, Excellentissimo, Experientissimo,

DN. JACOBO PANCRATIO BRUNONE,

Philos. ac Med. D. hujusq; Prof. P. famigeratissimo, & p.t. DECANO Spectabili,

DN. Præceptore ac Mecœnate suo multis nominibus devenerando

Publicæ φιλιάτρων disquisitioni submittet

AUCTOR & RESPONDENS

JOHANN-VICTOR Jägerschmidt/ Giengâ Suevus.

Ad diem 6. Octobr. Ær. C. CIↃ IↃ C LXXXIII.



ALTDORFI,
Literis HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.

PROOEMIUM.



Aud incongruè veneranda finxisse videtur Antiquitas, Junonem ex Jovis cerebro fuisse natam, quibus dubio procul admirandam Cerebri machinam, egregiam constitutionem, quin totius capitis, tanquam cerebri arcis, constructionem, simulq; ejusdem actiones percelebres indigitare voluit; & rem hunc in modum se habere, nemo, cui

de meliore luto finxit præcordia Titan,

inficias ibit, dummodo mirabilem cerebri capitisq; constructionem lynceis intuebitur oculis. Quin immò ipsius cerebri partes adeò complicatæ & involutæ existunt, earumq; ad invicem respectus & habitudines ita extricatu difficiles sunt, ut perfectam ejus Anatomiam instituere, pensi magis ardui videatur, quam labyrinthi cujusdam flexiones & mæandros velle in plano delineare, ut haud invenustè Cl. Willisius *docuit. Quoq; nobilioribus à sapientissimo Creatore idem destinatum functionibus, eô majoribus atq; vehementioribus obnoxium fit sæpè morbis & symptomatibus; Inter quæ* Cephalalgia *cum creberrime occurrat, levi de caussâ oriatur, variisq; morbis complicetur, & in hostili inimicorum insultuum, quibus humanum genus diris durisq; impetitur modis, censu haud levis æstimetur momenti, probè consideranda venit, etsi hic affectus creberrimus originem tam variam, incertam & non raro contrariam habet, ut difficillimum videatur exactam ejus Theoriam Φαινομένων tam multiplicium, & sæpè oppositorum solutiones continentem tradere. Quare si in tam vasto disceptationum pelago vela ventis non altius dedero, nec, tanquam brevitatem exosculans, omnes caussas, differentias & signa satis exsecuturus fuero, & materiæ difficultatem atq; juvenilem ætatem unà cum librorum necessariorum defectu brevitateq; temporis mihi fore patrocinium, confido. Primo autem Etymologiam, morbi subjectum, rationem formalem, unà cum caussis & differentiis proponere; dein Methodum Therapeuticam, cum quibusdam remediis annectere lubet. Quæ ut feliciter attingant metam, Maximus Medicorum Medicus conatus secundet.*

TH. I.

CEphalalgiæ nomen pro omni dolore capitis generaliter hic usurpatur; sed in specie & magis stricte recentem capitis dolorem significat; Nomen obtinet à symptomate & parte affecta, teste Galeno *2. Meth. Med. c. 2.* ubi ostendit, quibusdam morbis nomina Veteres indidisse à parte affecta, aliis à symptomate, aliis ab utroq;. In specie verò à Cephalæa & Hemicrania differt. Κεφαλαῖα enim est dolor inveteratus, diuturnus, & facili occasione vehementes habet accessiones, ut neq; strepitum, neq; vocem clariorem, neq; luminis splendorem, neq; vini potum, neq; motum ægri tolerare valeant, sed in quiete & tenebris ob doloris vehementiam decumbant, immò tanquam à malleo caput pertundi videtur. Ἡμικρανία verò denotat affectionem dolorificam in dimidiâ, vel dextra vel sinistra, ejus parte.

II. Est autem Cephalalgia sensio molesta cujuscunq; partis in capite nerveæ & fibrosæ, distentionem, lancinationem aut corrugationem immediatè sequens. Quemadmodum verò omnes accidentium definitiones perfectæ triplici causarum serie constant, formâ seu genere proximo, materia seu subjecto, & causa efficiente proxima, ita etiam hæc.

III. Genus sive ratio Formalis est sensio molesta: nihil enim hic interest, an molestam, an tristem, an laboriosam, an dolorosam sensionem appelles, sicut nec si passionem ipsam molestiam, an tristitiam, an laborem, an dolorem, quibus vocibus & Plato promiscue usus, dicas, ut Galenus habet *Lib. I. de causs. Sympt. c. 6.*

IV. Hæc ut clariora fiant, ab essentia doloris exordientes, quid nam dolor in genere proprie sit, & quæ ratio afficiendi competat caussæ dolorificæ, investigemus, quamvis circâ utrumq; sese tantæ offerant difficultates, ob varias Auctorum sententias, ut minime planum sit, cui calculum adjungere velis aut debeas; Quoad prius licet per sensionem in hoc affectu Tactus potissimum intelligi debeat, uti paulò post ex subjecti declaratione manifestum erit; Nec obstat nobis, quod & reliquorum sensuum externorum affectio Dolor dicatur; Non tamen excludendi quoq; hic sunt sensus interni, imò ipsa animæ rationalis operatio, quâ sensus molestia per spiritus animales oblata cognoscitur & judicatur. Secundum externos sensus est passio: Secundum internos apprehendentes & functionem animæ rationalis actio

actio dicenda. Nec convenit quoq; inter Auctores, in quo consistat formaliter Molestia illa sensionis? Qui enim tristem, laboriosam, læsam, depravatam appellant, mera ταυτολογία ludentes petitionem principii committere videntur. Nos salvâ auctoritate aliorum existimamus, quemadmodum ex objecti grati ac sensorium demulcentis sensatione voluptas excitatur; sic ex ejusdem objecti tangibilis violenta & nimiâ perceptione produci dolorem, ut ita molestia illa in excessivâ sensione potissimum consistat.

V. Quoad posterius, quâ nimirum ratione partes sensoriæ, h. e. fibræ nerveæ afficiantur à caussa dolorificâ, ut molesta illa sensio sequatur, discrepantes reperiuntur Auctorum opiniones: Quidam cum Avicennâ solutionem continui & intemperiem simul accusant; alii solutionem continui fientem tantum urgent; alii cum nonnullis recentioribus nec solutionem continui, nec intemperiem doloris caussam proximam atq; immediatam esse statuunt, sed mutationem subitam & violentam tactilium qualitatum. Enimverò, cum omnes hæ sententiæ modum afficiendi nihilominus relinquant obscurum & intricatum, ita ut quærenti alicui, quid sit solutio continui fiens? aut quæ mutatio qualitatum intelligatur? certam descriptionem tradere nequeant, placuit nobis in definitione modum caussandi specialioribus vocabulis exprimere, nimirum Tensione, Lancinatione, Corrugatione, subintellige præternaturali & violentâ, quæ mox in caussarum expositione clarius explicabuntur.

VI. Subjectum latè sumptum Caput est. Stricte vero acceptum & adæquatum solæ illius partes nerveæ, & fibrosæ, quâ externæ, quâ internæ, ut sunt præter communia integumenta, Pericranium, Meninges duæ, Periostia, Nervorum tunicæ. Cerebri & cerebelli, nec non nervorum, si quæ est, medullaris substantia, licet officina & sedes spirituum animalium sensum & motum reliquis partibus impertientium habeantur, subjecto Cephalalgiæ minime annumeranda, utpote dolorum immunis & fibris destituta.

VII. Ordo nos invitat ad Caussarum expositionem & quidem primum Immediatæ, seu Proximæ. Hæc materialiter considerata est vel Sanguis, vel Serum, vel Liquor nerveus vel Lympha; scil. non semper seorsim intellecta, sed sæpe etiam conjunctim, dum sanguis cum sero aut liquore nervoso in hoc affectu producendo conspirant. Cæterum hic merito quæritur: An non & materia toto genere p. n. aut etiam materia solida, sive pars fuerit, sive extranea, fieri possit

caussa proxima Cephalalgiæ? Et respondemus affirmando nixi variis observationibus, quæ extant apud Theoph. Bonett. *in Anat. Pract. L. 1. Sect. 1. obs. 40. & multis seqq.* è quibus patet, pus, abscessum, tumores scirrhosos, coalitionem utriusq; meningis p.n. & alia corpora immediatè dolorem capitis produxisse.

VIII. Si formaliter & efficaciter consideratur caussa proxima, capitis dolorem infert vel quantitate nimia, vel qualitate vitiosa, vel loco incongruo, motu etiam nimio aut deficiente peccans, quemadmodum hoc ex exemplorum in Practicis copiose occurrentium inspectione elucescit. Et hinc accidit, ut modus afficiendi adeò varius observetur, dum pro varietate vitii in caussa dolorificâ occurrentis partes nerveas fibrosas vel nimium tendat, vel lancinet sive vellicet, vel ad corrugationem p. n. incitet, quinimò haud rarò caussæ concurrentes mixto etiam modo subjectum afficiant. v. g. Si sanguis non solum copia peccans & propter effervescentiam impetuosius ad cerebrum propulsus dolorem tensivum excitat, sed & ob acrimoniam seri conjunctam inflammationes & convulsiva symptomata cum delirio & vigiliis nimiis infert.

IX. Progredimur ad Mediatam internam, vel Antecedentem, quæ uti quoad materiam non differt à proximâ; cum sit nihil aliud, quam latens quædam Dispositio morbosa Humorum & Spirituum, aut etiam partium solidarum sive in toto corpore, sive etiam in ipso capite extra tamen actum afficiendi considerata, & ita in hoc affectu quoq; sanguis vel copiâ, vel acrimoniâ, aciditate, ichorositate, salsedine peccans, nec non liquor nervosus ad similem corruptionem pronus; aut etiam partium nervosarum capitis occulta quædam organica minus commoda dispositio & constitutio; Sic caussandi modus in hoc consistit, quod variæ intemperies universales, quales sunt febriles, benignæ vel malignæ, aut particulares capitis, quâ nudæ & sine materiâ, Calida aut Frigida, quâ cum materiâ & compositæ, Calida & Humida, Calida & Sicca, Frigida & Humida, Frigida & Sicca inde proveniant, nec non flatuum aliarumq; exhalationm & excrementitiarum portionum proventus & collectio ad caput ab hàc dependeant. Pariter organicam structuram capitis minus naturalem largiri dispositionem aliquam ad dolores capitis testantur Observationes. Ita quidam acutum caput habentes κεφαλαλγέες & aurium fluxu laborantes ὠτόῤῥυτοι dicuntur Hippocr. *L. 6. Epid. sect. 1. text. 3.* ita Columbus & Fallopius quosdam sine

sutu

ſuturis maximos dolores ſenſiſſe obſervarunt. Inprimis verò ad Hemicraniæ generationem prævıam quandam vitioſam partium nonnullarum capitis, ſive ventriculorum cerebri ſecernendis excrementis, non verò elaborationi ſpirituum animalium deſtinatorum, ſive etiam ſinuum diverſorum, quos meninx exterior ſive dura mater dicta per duplicaturam efformat, diſpoſitionem requiri planè eſt veroſimile.

X. Cauſarum remotarum Externarum, vel Procatarcticarum anta hic occurrit farrago, ut iis enumerandis, multo minus explicandis, haud ſufficientes ſimus. Paſſim tamen in Practicorum monunentis eas invenire licet. Dividi poſſunt in Nonnaturales, ſub quious non ſolum ſex illæ vulgo numeratæ, ſed & Medicamenta ſiniſtre & incongruè adhibita, item Chirurgicæ operationes perperam inſtitutæ comprehendi debent; & Præternaturales, quæ varia mororum genera & caſus fortuitos forinſecus advenientes complectuntur. Quæ omnes quoad efficiendi modum in eo conſpirant, uod vel latentem aliquam diſpoſitionem vitioſam gignant, vel eanem jam præſentem in actum deducant. Hoc prolixius exponere acile poſſemus, niſi brevitatis ſtudium nos moneret, ut ad Differenias properemus.

XI. Quamplurimæ autem apud Auctores occurrunt Cephalalgiæ differentiæ, quas non tàm recenſere, quam in ordinem ſaltem edigere fert animus. Aliæ enim reſpiciunt ſubjectum, aliæ cauſſaum varietatem. Ad illud pertinent, quod alius dolor totum caput ccupet, alius partem, & quidem vel anticam, vel poſticam, dextram ut ſiniſtram. Ita Cephalalgia quædam externa in pericranio, aut n cute ambiente hærens, quæ & rarior & levior habetur; quædam nterna meninges aut alias fibras nerveas intus occurrentes infeſtat. Poſſent & huc annecti quædam differentiæ à ſexu & vitæ ſtatione deſumtæ, v. g. quando inter ſymptomata gravidarum primis conceptionis menſibus occurrentia etiam capitis dolor refertur; item quando literati, & curis publicis nimium intenti Cephalalgia frequentius laborant aliis vita gaudentibus liberiori. Enimverò cum ratio diverſitatis illius in cauſſæ morbificæ varietate potius conſiſtat, nolumus hic eſſe prolixiores.

XII. Quæ ad has verò ſpectant, deſumuntur primum ab earundem eſſentialibus: Ita aliter ſe habet dolor à ſanguine obortus, qui vel ardens, vel pulſatorius, vel etiam punctorius eſſe ſolet. Aliter

à ſero

à ſero aut lympha dependens, qui vel gravativus, vel ſi qualitas quædam vitioſa concurrerit, aciditas aut acrimonia, rodens, lancinans, punctorius (inter has enim proprietates vel nullum, vel certè exiguum erit diſcrimen) notatur. Si à flatu, aut materia ſolida, quin & fluida citra urgentem aliam qualitatem ſubſiſtente, tenſivus; aliter ſi ab acido ſtyptico liquore vel vapore, ubi Cephalalgia cum contractione quadam animadvertitur. Dein ab earundem accidentalibus, quantitate, qualitate, motu, tempore, more. Quæ à quantitate cauſſæ dolorificæ aut qualitate dependent, coincidunt cum eſſentialibus, quia materia dum peccat, nunquam eſt ſine quantitate aut qualitate. Ad motum cauſſæ morbificæ pertinet, quod alia Cephalalgia ſit Idiopathica ſive per eſſentiam, quæ primario originem in capite ſumſit: alia per conſenſum & Sympathica, ex aliâ corporis parte v.g. ventriculo, utero, &c. materiæ communionem obtinens; motus quoq; cauſſæ vehementior vel debilior facit dolorem capitis graviorem aut mitiorem. Huc pertinet etiam differentia inter Cephalalgiam continuam & periodicam, ſive per intervalla recurrentem. A tempore alia dicitur recens, alia inveterata & chronica; quo pertinet illa à Williſio seriò inculcata differentia inter Occaſionalem & Habitualem; Illa eſt absq; inſigni præviâ diſpoſitione à cauſſis externis noviter excitata; Hæc conſtanter & crebro moleſta eſt. A more fluit diſcrimen inter Capitis dolorem benignum, qui nec cum aliis gravioribus ſymptomatibus conjunctus eſt, nec ſuſpicio alicujus contagii aut morbi maligni concurrit, & inter Malignum qui contrario modo ſeſe habet, quo & pertinet Cephalalgia Scorbutica, Venerea. Tantum de differentiis. Feſtinandum enim nobis ad Signa.

XIII. Hæc duplicia cum ſint, Diagnoſtica & Prognoſtica, de illis non opus eſt, ut multum ſimus operoſi. Etenim dolor tale eſt ſymptoma, quod ægrum cogit ad querelam, & reddit loquacem. Neq; etiam cauſſarum ſigna difficulter innoteſcere poſſunt ex differentiis dolorum jam ante propoſitis. Externus ad contactum capillorum & compreſſionem exacerbatur. Internus profundior eſt, & hujus proprium eſſe ſignum vult Galenus, quod ad oculorum radices pertingat; in externo vero nequaquam *L. 3. de loc. aff. c. 9.* Hoc impugnavit Fernel. *L. 5. Pathol. cap. 1.* falſum eſſe dicens ob hanc rationem, quod & externi dolores ad oculorum radices pertingant, quia pericranium, cui inſident, ad oculorum cavum pertingat. R

veri

verius *L. 1. Prax. c. 16.* pro defensione Galeni duo adduxit; membranam, quæ à pericranio fertur ad oculi cavum, esse hebetioris sensus & ita non compati dolori externo capitis: deinde neq; membranam illam ita intrinsece & profunde attingere oculum versus nervos opticos, unde fit, ut nec dolor externus possit se extendere ad oculorum fundamenta. Enimverò nobis videtur plane non esse necessarium aut perpetuum signum doloris etiam interni cujuscunq; , sed saltem illius, qui est in parte anteriori, aut in vertice, aut in toto capite: nam qui est in occipite, nisi à caussa vehementiori dependeat, non est necesse, ut ad oculum pertingat. Per consensum dolor, vel per præcedentem affectum alterius partis & visceris dignoscitur ab Idiopathico, vel per intervalla: Essentialis ut plurimum continuus ob caussæ durationem. Quod Trallianus fundamenti significativi loco posuit *L. 1 c. 1.* Vehementissimi dolores ab activis qualitatibus præcipiè calidâ: Leviores á siccâ oriuntur; saltem de caussis humoralibus & vaporosis intelligendum. Universaliter enim verum non est, cum & Cephalalgiæ à materia solidâ toto genere p n. dependentes, quæ non sunt calidæ, ut vermes, lapides; sint acerbissimæ. Cephalalgiæ præsentis vel futuræ in febribus signum Urinam, habitam qualis jumentorum, dixit Hipp. *4. aph. 70.*

XIV. Prænotio & Prædictio dirigi debet ad ipsum Eventum Salutis vel Mortis (2) ad Eventus modum (3) ad Eventus Tempus. Quoad primum licet Galenus *l. 2. de comp. med. sec. loca* expresse dixerit, ob capitis dolorem vehementem neminem unquam animi deliquio oppressum, multo minus mortuum, omnium minime sibi ipsi manus violentas injecisse. Cephalalgia tamen aliis juncta symptomatibus, haud raro desinit in mortem, auctoritate Hipp. *6. aph. 51.* Confirmant hoc quamplurimæ observationes, à Bonetto collectæ, supra citato loco. Ad salutarem quoq; pertinet Cephalalgia Critica, quæ scil. præcedit aliquam evacuationem Criticam, præsertim per hæmorrhagiam, aut vomitum, argumento *6. aph. 10.* quam prætereà curandam non esse injunxit Galen. *lib. 1. Glauc. c. 15.*

XV. Quoad modum eventus Cephalalgia quædam inveterata transit in Apoplexiam, Epilepsiam, visus hebetudinem, mentis emotionem, & tandem mortem, quemadmodum observavit B. Rolfink. in quodam ægroto Jenensi *Method. cognosc. & curand. morb. capitis Diss. 1.* Alia solvitur pure excreto per nares, sputa, crassa, inodora, ulcusculorum proventum, alvi profluvium. Hipp. *Coac. 3. 172.* Videantur

antur ibidem plures textus, quâ præcedentes, quâ ſubſequentes, varium eventus modum demonſtrantes.

XVI. Ad tempus Eventus pertinent ſequentia præſagia; Quod Capitis dolor à cauſſâ manifeſta, & occaſionalis ſine inveteratâ diſpoſitione, citius terminetur, quam habitualis continuus, & Chronicus. Hinc Cephalæa omnium contumaciſſima habetur. Breviores quoq; ſunt Cephalalgiæ à cauſſa calidâ, quam à cauſſa frigida. Longæ ſunt Scorbuticæ, & à morbi Gallici miaſmate dependentes.

XVII. Obiter circa Prognoſtica hoc dubium adhuc ſolvi debet: Qua ratione Dolor capitis Criticus à ſymptomatico diſtinguatur, ne Medicus in præſagio errorem committat? Oſtendit hoc Galen. *L. 1. ad Glauc. c. 15.* duobus modis; primum, Criticus locum habet in morbo acuto, ſuâ naturâ calido, & velocem ad terminum motum habente; Quo reſpexit Hipp. *3. prognoſt. t. 31.* Porrò quibus horum (ſcilicet febre laborantium) dolor capitis fieri cœperit primo die, hi quarto, & quinto maximè affliguntur, ſeptimo vero liberantur. Pleriq; tamen ipſorum tertio die dolere incipiunt, divexantur autem maximè quinto, ſed liberantur nono aut undecimo. Qui vero inceperit quinto die dolere, aliaq; juxta rationem priorum ipſis fiant, his decimo quarto morbus judicatur. Dein morbus ſit boni moris, & habeat alia ſigna ſalutaris eventus. Malignus enim morbus, & qui ad perniciem tendit, non poteſt habere dolorem Capitis Criticum. Atq; hæc ſufficiant de Cephalalgiæ naturâ, cauſſis, differentiis & ſignis pro inſtituti ratione.

XVIII. Nunc recto tramite progredimur ad Curandi Methodum, quæ niti debet certis Indicationibus, quarum fundamentum eſt univerſaliſſimum, ex Hipp. *Contraria contrariorum Medela.* Indicationes in hoc affectu curando deſumuntur, vel à dolore ipſo, vel á cauſſis doloris. A dolore ſumta non prius attenditur, niſi is adeo vehemens fuerit, ut curationem ad ſe trahat, quod fit, quando vigiliis nimiis, delirio, aliisve ſymptomatibus gravioribus vires vitales proſternit. Enimvero cum ex eodem pauló ſuperius audiverimus, quod Capitis dolor varius adeò ſit vehemens, ut vitæ periculum inferat, propterea rarius quoq; indicatio à Dolore locum invenit, præſertim quod & remedia huc pertinentia, de quibus paulo poſt dicendum, cautè ſint in uſum vocanda.

XIX. A cauſſis deſumtæ Indicationes tot ſunt, quot cauſſarum genera, & quot modi, quibus eædem lædunt. Omnes hæ Indicatio-

nes

nes in hoc conveniunt, quod poſtulent remotionem. Externæ removentur vel eas tollendo, vel eas in futurum fugiendo; quod ſæpè ſufficit pro curandâ Cephalalgia occaſionali & leviori, à cauſſa evidenti obortâ. Internæ removentur, vel earundem quantitatem imminuendo, vel qualitatem alterando, & mutando, vel earundem motum corrigendo, vel ad loca convenientia deducendo. In quarum omnium indicationum executione, & ad præſentem, & ad imminentem, & ad futuram materiam dolorificam erit reſpiciendum cum judicio, ut ſcil. ſingula ſingulis ſuo tempore, loco, ac menſura ritè applicentur.

XX. Quò vero iis ſatisfiat, Præſidiorum materiæ petantur ex triplici fonte. (1) Ex fonte Chirurgico, ſi ſanguis quantitate magis, quam qualitate, peccet, Phlebotomia in brachio aut vena etiam jugulari, aut frontis celebretur; Interdum etiam expedit, ſanguinem è venis ſedilibus per hirudines extrahi, nempe, ut hâc ratione ſanguis ebulliens deorſum verſus locum iſtum, quo ſæpè ſponte tendit, ſollicitetur. In obſtructione menſium concurrente convenit & Venæſectionem in pede inſtituere, immò non ſolum in fœminis, ſed & in viris hujus venæ ſectionem revulſionis majoris gratia profuiſſe, teſtatur Rhodius *Cent. 1. obſ. 73.* & ex hoc Bonettus *Mercur. Compitalit. l. 3. p. 82.* Nec Cucurbitulæ negligendæ, dorſo, brachiis, aut crurībus applicandæ, quæ etiam ſenſibiliter ſanguinem calidis vaporibus turgidum imminuunt. Frictiones item & Ligaturæ ſive Vincula dolorifica extremis injecta non ſunt ſupervacanea, ſi quidem à parte affectâ revellere, ſanguinisq; motum impetuoſum retardare, creduntur. Conſtrictiones capitis cum faſciâ, ſupra frontem injecta, perq; tempora ducta, & in occipite nodo combinatâ, vulgò ſunt notiſſimæ credenti, quod in dolore capitis ſuturæ ſæpè hient. Enimvero potius juvant hæc vincula ſenſus objectum dolorificum veluti obtundendo.

XXI. Arteriotomiam poſt aures in capitis doloribus diuturnis, calidis, ac ſpirituoſis commendavit Gal. *l. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 22.* & confirmavit Paræus *l. 16. c. 4.* Hemicraniam deſperatam, arteriotomia in temporibus celebratâ, curatam referens, nullumq; in eâ periculum eſſe, perſuadere conatus. Verum ad hanc ſectionem, niſi aliis omnibus fruſtra tentatis, præſertim cum Chirurgis noſtris ratio arterias ſecandi non probè ſit cognita, non accedendum. Cauterium ſuturæ coronali admotum dolorem capitis contumacem aliquando radicitus abſtuliſſe teſtatur River. *L. 1. Prax. c. 16.* Neq; etiam

Fonticuli in cruribus aut brachiis parati utilitate carent in Cephalalgia habituali, & à serositatibus phlegmaticis dependente.

XXII. E fonte Pharmaceutico multifaria hauriri solent remedia. I. Vomitoria, quæ saltem locum habent, ubi certò constiterit per consensum ventriculi, & primarum viarum caput dolere, humoresq; vel biliosos, vel crudos circa orificium superius hærere, aut ibidem fluctuare. Aliàs enim magis videntur esse noxia, dum per motum illum violentum sanguis & spiritus animales versus superiora repelluntur ad partem affectam, & ita eorundem motus perturbantur. Quoad horum materiam leviora quidem Galenica securiora creduntur, qualia sunt Jus tepidum pingue cum Ol. amygd. dulc. Oxymel. succus Raphani; sed commodiora, & satis quoq; tuta Chymica; inter quæ Tartarus Emeticus ad gr. ij. l. iij. Aq. Benedict. Ruland. ad ℥j. quam auctor ipse cum Aq. fontana, aut vino permiscere solitus, Syr. Emeticus Angeli Salæ ad ℥ß. II. Lenientia & Purgantia varia, cum per os assumenda, tum per anum injicienda: quorum omnium materiam & formulas colligere, nimium quantum excederet limites nostræ Disputationis, nec opus est, cum ubiq; in Practicorum scriptis prostent; & delectus institui debeat commodus pro subjectorum curandorum diversitate. In Cacochymiâ biliosa laudantur Syr. de cich. cum Rhab. Manna, Rhabarb. Rotulæ polychrestæ Cratonis è Rhabarbaro paratæ. Elect. lenitiv. In Pituitosâ Pilulæ, & Extractum de Agarico. Pilulæ de succino Cratonis. In serosa, Gialappa omnibus palmam præripit in substantia, & Magisterio & Tincturâ (quam Rolfink. Phalajam vocavit *tract. de purgant. sect. 2. art. 3. c. 15.*) commode exhibita. Nec usu carent Pilulæ Tartareæ Quercetani, Bontii, Sennerti, &c. Fortiora purgantia, ceu malignam habentia naturam, potius vitanda, quàm adhibenda, nisi quod urgente necessitate lenientibus stimuli loco addi possint in exiguâ quantitate; qualia sunt, Diagrydium, Troch. Alhandal. & similia. Clysterum injectio, si in ullo alio affectu, certè in hoc singulare præstant commodum, ita ut in occasionali sæpè utramq; paginam facere videantur, & apud exteros Cephalalgia à crapula enemate solo curetur. Ceterum in capitis dolore, qui à dissipatione spirituum per exercitia, cursus, itinera, venationes, & alios labores intempestivos, aut rem veneream, evacuationem, imprimis per purgantia, interdictam esse ab Hippocrate patet ex *4. de rat. vict. in ac. t. 115.* III. Diaphoretica & Sudorifera, quorum usus insignis est, cùm in recenti, tùm inveterato capitis dolore. In horum delectu respiciendum

dum ad caussæ internæ indolem & naturam. Si calida intemperies & sanguinis fervor adfuerit, Præcipitantia & temperata adhibenda. Quo pertinent Corn. C. præparat. Terra sigillata, Bezoartica. Antimon. diaphoret. Si frigida cum lentore humorum peccet, item in serositatibus malignis, Diaphoretica calida actu & potentia, salina, spirituosa, volatilia adhibenda. Quò pertinent etiam Decocta à Ligno sancto, Rad. Chinæ, Ligno Sassafras. Theriaca, Aq. Theriacales Lugdunensium, Sylvii. Tinctura Bezoartica D. Mich. Mistura simplex, & similia. Liceat nobis, quia ita moris est, unam etiam atq; alteram è dictis adijcere formulam compositam.

℞. *C. C. ſ. △ præparat.* ℈ij.
⊖ *volat. ejusd.* gr. v.
▽ *Flor. Sambuc. vel Card. Bened.* ℥j.
Syr. Cydon. simpl. ʒiij. M. pro Haustu.

℞. ▽ *Theriacal. Lugdun. vel Sylv.* ℥j.
Card. Bened. ʒvj.
♎ ⊖ ♓*ci* gutt. xx.
Syr. Card. Ben. ʒiij. M. f. Potio Sudorifera.

IV. Alterantia dicta & Corroborantia varia vel Cephalica, tantum vulgo dicta, præsertim in Idiopathico Capitis dolore, vel etiam Stomachica, Uterina, aut aliis partibus certis Appropriata, habita pro diversâ intemperie corrigendâ, in contrarium, eligenda, ita ut calida frigidis, humida siccis, tenuium partium crassioribus, & viceversa opponantur; in quorum enumeratione, & formularum multarum collectione si vellemus esse operosi, & actum ageremus, & Disputatio nostra præter necessitatem ultra modum excresceret.
V. Suppetit quoq; fons Pharmaceuticus Opiata & Narcotica. Inter hæc Pilulæ de Cynoglossa recenter paratæ specialiter adhunc affectum probatæ inventæ sunt. Possunt tamen & alia adhiberi, vel Emulsiones Anodynæ, vel Laudan. Opiatum correctum ad ij. iij. ad summum grana, vel Tincturæ Opii pauxillæ guttæ in commodo vehiculo; magna tamen cautione talia adhibeantur, monente Heurnio, & ex hoc Bonetto *d. l. p. 91.* cum caussam morbificam non abscindant; Horum igitur norma etiam sit virium robur. Si Externa Anodyna, quando paucis granis Opiatorum permiscentur, securius usurpari possunt. Alias VI. Externa illa anodyna etiam varianda sunt, pro diversâ caussæ morbificæ indole. In caussa calida Oxyrrhodina Epithemata præstant, quæ in caussa frigidâ & Catharrhali magis nocent. Plures Epithematum, Linimentorum, Oleorum, Em-

plaſtrorum formulæ videantur apud Practicos. In dolore capitis febrili commendatur ſeq. Unguentum temporibus illinendum, quod

℞. *Ungv. Alabaſtr.* ℥iij.
Philon. Rom. ʒß.
Ol. Nuciſt. expr. gr. xv. M. f. Unguentum.

Tandem inter ſpecifica Topica ſummopere laudatur Verbena Mas, ita ut Foreſtus mirabilem de hujus effectu in dolore atrociſſimo notaverit hiſtoriam *Lib. 9. obſ. 52.* ubi etiam in Scholio alia ſpecifica, & Amuleta propoſuit, de quibus fides ſit penes auctores. Nos potius finem hujus Diſſertationis deſiderantes pauca quædam de remediis è tertio fonte deſumendis adhuc adjiciemus.

XXIII. Fons Diæteticus, pro futuro materiæ peccantis proventu vitando, affert Rerum ſex nonnaturalium dextrum uſum, & congruum regimen. Aër igitur eligendus in cauſsâ frigidâ & humidâ calidior & ſiccior naturâ, vel arte. Exhalationes impuræ, & ventorum injuriæ vitandæ; in calidâ, temperatus: nam ſicut omne frigidum, ſic aër juſto frigidior nervoſo generi inimicus, ideoq; fugiendus. Alimentorum in acuto Dolore, & febrili uſus parcus, & tenuis, refrigerans; in chronico debita temporis & ordinis ratio obſervanda, ne importunâ ingeſtione cruditatibus major anſa detur. Si à defectu ſpirituum vitalium & animalium, aſſumantur εὔχυμα καὶ εὔπεπτα alimenta cum moderamine. Imprimis vero ab iis abſtinendum, de quibus conſtat, quod occaſionem præbuerint Cephalalgiæ. Motus & Quies, Somnus & Vigiliæ, pro conſuetudine, & naturæ tolerantiâ obſerventur, ita tamen ne motus fortior poſt cibationem inſtituatur. Somnus meridianus in debilitate ventriculi, præſertim ad ſenium vergentibus, non planè interdicendus. Excretiones naturales, alvi, urinæ, ſudoris, quovis modo conſervandæ ſunt. Abſint omnes vehementiores animi paſſiones, faſtidioſæ curæ, & intentæ cogitationes, ſpiritibus Vitalibus, & Animalibus vim magnam inferentes.

XXIV. Perduximus ad umbilicum σὺν Θεῷ exorſam Diſquitionis telam pro noſtri ingenii modulo, rogantes ut Benivolus Lector hæc boni conſulat, ſi quæ minus accuratè propoſita, aut prætermiſſa fuerint, imbecillitati noſtræ veniam indulgens, dextrè interpretabitur. Interim pro conceſſis ad hunc laborem viribus

Δόξα τῷ Θεῷ Ἀρχιάτρῳ τρισμεγίστῳ!

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I. *An ex Urina, an verò ex Pulsu melior conjectura hauriri possit?* Aff. post.
II. *An ex Auro Tinctura extrahi possit?* Dub.
III. *An Capitis dolori ex crapulâ jejunium sit malum?* Dist.
IV. *An sanitati conferat aliquando, v. g. semel aut bis in mense, inebriari?* (Dist.

Ad Clarissimum DISPUTATIONIS AUTHOREM
ἐπιφώνησις φιλοτήσιος PRÆSIDIS.

Euge, juvante DEO, conscendito pulpita clara,
Atq; Tuas doctas ritè tuêre Theses:
Hoc studio felix rectâ sic ibis ad Artem
Phœbéam, verus moxq; sequetur Honos.

PRudentum quoties Medicorum evolveris amplos
Libros, ac quanta Sedulitate Tuâ
Tractes, è Cathedrâ Dis- docta- putatio monstrat,
Dum Capitis noxas enucleare doces.
His cœptis meritò nos pleno applaudimus ore:
Ut fias Patriæ Spesq; Decusq; tuæ.

Hæc Nobilissimo DN. Respondenti, amicitiam suam contestandi gratia adjicere voluêre

COMMENSALES.

ΚΑλλιμαθὴς Πλαστὴρ διαλέξιος ἄρτιν ὑπάρχεις,
Ἠδὲ Καρηβαρίην νῦν προάγεις λιπαρῶς.
Εὐκλειῶς, κεφαλὴν σώζων, ἔνθεν Σὺ ἐγερθεὶς,
Εἰνὶ σοφῶν Κεφαλαῖς τὼς Κεφαλὴ πότ᾽ ἔσῃ.
Αἶψ᾽ ἔρξει σελαγίζεμεν οὔνομα Σεῖο Μαχάων,
Ἠδὲ ἀκεστορίης ἐσσόμενος Πρύτανις.

Clarissimo DN. Auctori hisce mentis integritatem, non vero calami venustatem gratulabundus exhibet

Joh. Vlricus Haffnerus,
Phil. & S. Theol. St.

PRimitùs en rapido vicina Academia Nicro,
Docta Tubinga, Tuos mores vitamq; probabat:
Mox JEGERSCHMIDI, *quantum perfeceris arte*
Inq; Machaoniâ, monstrares rite Lycéo
Argentorati, laudabat pulchra laboris
Pignora, tumq; novos fructus, conamina docta!

Nunc

Nunc & Athenæi Norici celeberrima laudant
Lumina, pro meritò, Tua sic documenta cothurno
Digna Sophocleo; Mentem ego, candide Fautor,
Laudo Tuam, quia primo accessus fronte salutat
Altdorphum specimen doctum, (Tua pagina nobis
Offert;) nil igitur penitùs dubito, ominis esse
Felicis, dum de Cephalæâ differis aptè
Præside sub tanto, cuî nostra altaria fumant.
Ardua, sed tanto, quo Te Natura beavit,
Dædaleo ingenio, meritò condigna subisti:
Haud frustra! siquidem Te jam super æthera tollunt
Musæ Altdorphinæ, nec non certamina laudant.
Hinc etiam quia ad egregium Thema carmina poscis,
Cum tamen haud faciles mî Musæ, penè recusem;
At quoniam placeat Sylvas Noricas habitare,
Non & ego erubui, meditari carmine Laudes,
Quas es nocturnis Tu nactus, Amice, Camænis:
Hæc Tu vera negas? sed eo mihi vera magis sunt;
Testor ego Phœbum! qui vidit amare puellas
Castalides Te, si Titan caput extulit undis
Altius Eois, vel cum sua misit Olympo
Lumina, tunc firmo Te vidit amore teneri
Musarum, atq; choro pergrato semper adesse;
Ut dicam breviter: Sensit quoq; doctior orbis,
Qui probat applausu, Tua pro merito, documenta;
Ecce! Gienga satis Te dignum suspicit ipsa.
Macte bonis tantis! sic perge, ultroq; sequentur
Virtutes comites, quæ semper Te comitentur!
Sic age, nocturnis perge impallescere chartis,
Namq; Tuos ausus manet acceptissima palma.
Hæc sint vera, precor, voveoq;, Suävis Amice,
Ut studii porrò conatus Numina Dia
Fortunent. Satis est! Prensando fortiter insta,
Sic Tibi semper Honos, Nomen, Laudesq; manebunt.

Pauca hæc Nobilissimo atq; Præstantissimo Disputationis hujus Auctori, Amico atq; Conterraneo suo singulariter dilecto, gratulabund. adjicere voluit

Georgius Wilhelmus Widenmann/
Nördlingio-Rhetus.

:(o):